Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2525

Quelle:
Copyright:

edit. 1715. p. 210. 211. de *Triplici Credere* leguntur. Quae vero in illa Edit. p. 38. de *Decalogo* habentur, nec decimam partem eorum, quae *Codex* continet, aequant.

III. *fol.* 86. p. 2. resumuntur Collectanea et Notata varia in usum Praedicatorum, Interpretum s. Scripturae &c.

IV. *fol.* 128. *Tractatus de destructione prostibulorum.* Autor innotescit e miniata hac clausula: *Explicit tractatus Reuerendi Magistri Jacobelli de Miza in quo determinat quod prostibularie et publicani sunt destruendi et quod nullus fidelis christianus debet eos fauere aut defendere propter aliqua lucra huiusmodi sub pena dampnationis perpetue. Anno domini M°. CCCC°. XV. secunda feria post Bartholomei hora XV. est finitus.* Initium vero sic habet: *Quia lex diuina christianorum est munda et immaculata per quam Christianus immaculate se debet custodire ab hoc seculo* &c. Autoritate sacri Textus per totum pugnatur. Neminem eorum, qui de *Jacobo* egerunt, hujus Scripti meminisse puto, quod saepius in *Indice* adnotatur.

V. *fol.* 133. *Sermo beati Augustini de eo quod indurauit dominus cor pharaonis.* Incipit: *Quociens lectio illa recitatur fratres karissimi in qua frequenter audiuimus* &c. Rejectus in *Append.* T. V. edit. *Maur. col.* 45.

VI. *fol.* 136. *Epistola beati Bernhardi ad parentes proprios prohibentes religiosum habitum.* Falsum; est enim scripta in persona *Eliae* monachi, et extat numero CXI. edit. *Maur. Paris.* 1690. *Vol.* I. *col.* 119. hoc initio: *Sola causa qua licet parentibus non obedire deus est* &c.

VII. *fol.* 137. p. 2. *Sermo ad clerum in aduentu domini, Magistri Johannis de Husinecz* in illud: *Confirmate corda vestra. quoniam adventus domini appropinquabit. Jac. V. et in currentis temporis officio.* Initium: *Beatus Bernhardus sermonem suum de aduentu incipiens* &c. Non *Jac.* C. II. ut praefert editio T. II. Opp. *Hussi* supra *cit.* p. 62. ubi Sermo noster habitus dicitur *ad S. Clementem prope Pontem Pragae, in Commemoratione Caroli* IV. *Imp.* qui 29. *Nov.* obierat. Sunt, quae e Codice editionem perficerent et vicissim. Omittit tamen Editio Viros doctos duos in illa enumeratione: *Sed rogo, quid Magistri nostri sacre theologie professores dicerent, si defuncti ueraciter responderent* &c. videlicet: *Quid Ianco Mathematicus promptissimus? Quid Nicolaus Rachozouic poeta prestantissimus?* quos cum apud *Balbinum* non reperiam, eruditis *Bohemis* discutiendos relinquere cogor.

VIII. *fol.* 146. *Sermo magistri Mathie de vana gloria respuenda.* In illud: *In frumento primo balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis.* Ezech. XXVII. Initium: *Nota nundine uel forum christiani et forum christi et forum dyaboli est tota hec presens vita* &c. *Mathiam* hunc a *Lanow*, *Janow* aut *Panow* dictum esse puto, alias *Parisiensem*, mortuum